



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Series Archiepiscoporum Simvlqve Electorum Coloniæ. Periodus III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



SERIES  
ARCHIEPISCOPORVM SIMVLQVE  
ELECTORVM COLONIAE.

PERIODUS III.  
SECVLVM XI.

XXXVIII. D. HERIBERTVS, XVII. ARCH.  
I. ELECTOR.

**I**Nter Imperii Septem - Viros à Gregorio V. Pontifice, & Ottone III. Imperatore providè constitutos venit meritò D. Heribertus, natus Rottenburgi ad Tubarum in Franconia Comes, Henrici Episcopi Herbipolensis frater Germanus. Dum in Archipræsulem Coloniae est electus à Canonicis, Beneventi agebat in Italia in rebus cunctis præstò adfuturus Ottoni Cæsari, qui nuntiis ex Germania allatis rei certior factus, absentium Heriberto hanc brevem misisse fertur epistolam Augusta manu exarata: *Otto Imperator Augustus sola Dei gratiâ, Heriberto Archilogothete gratiam suam & Coloniam & Pallii cubitum unum vale.* Romam Benevento profectus, & Pallio exornatus Heribertus rediit Coloniam, primò parùm gratus D. Henrico Ottonis III. Successori, eò quòd Heribertus dissidentibus ab Henrico partibus favere nosceretur, & relicta ab Ottone Imperii insignia æquo tardiùs Henrico tradidisset. Accessère non modici momenti argumenta alia, quibus persuasus Imperator, & veluti existimabat, jure iratus, aut Electorem castigare, aut penitus Sede pellere meditabatur, quod ipsum fradebant inimici multi. *At secundum quietem videre sibi præsentem visus Antistitem oris & vestis majestate Augustum affarique: cave Imperator in hunc conservum meum*  
Heri-

Heribertum gravius quicquam aut statuas aut designes; nec ipsius unice Deo carum caput esse acceptumque nescias; quare si quicquam erga eum fueris commertus, quod nolles, ejus haud dubie erit severa tibi quandoque reddenda ratio. Haftenus Brovverus, & ferè similia habet Kranzius in sua Saxonia pag. 97. hisce verbis claudens de Cæsaris & Archipræsulis causa narrationem: Inde Imperator Henricus natalem diem Coloniæ celebrans, Heribertum Archiepiscopum, olim à se malè habitum, satisfactione placavit. Cui reconciliatus Archiepiscopus prædixit, se propediem moriturum, quod & factum est, claruitque mortuus miraculis. Inter miracula D. Heriberti verò, quod mirandum maximè, numerant Scriptores etiam Heterodoxi. 1. Energumenum dæmonio liberavit. 2. Aquam, qua manus lavit, in medicinam saluberrimam convertit. 3. Vino, cui digitum intinxit suum, cæcutienti fœminæ beneficium lucis restituit. 4. Potenti oratione sua cœlesti lumen sibimet impetravit. 5. Henrico II. Cæsari, & sibi diem mortis prædixit vates. 6. Choreis contra interdictum Ecclesiæ tentatis & continuatis, & inde hominum saltu continuo divinitus punitorum miseris, in pago Kolbeck precibus suis optatum finem imposuit. Fine quievit ipse beatissimo an. 1022. bienio ante D. Henricum. Sedit an. 24.

XXXIX. PILGRIMUS. XVIII. ARCH.  
II. ELECTOR.

**P**ilgrimus ex pauperibus natus parentibus, dum Grammaticæ elementis navavit operam, cantando juxtà ac mendicando victum quærere more multorum cogebatur adolescens. Hildeshemii ea ætate sedebat Episcopus D. Bernvvaldus, cuius aures suavi medodia stans ante fores Pilgrimus cum mulceret, continuo Episcopus illustratus vaticinio, suis dixit domesticis: adducite mihi Archiepiscopum Coloniensem. Præter mendicabulum nemo præ foribus est, reponebant domestici: tum verò Bernvvaldus: atqui hoc ipsum mendicabulum erit Archiepiscopus Coloniensis. Adhibitus dein mensæ Principis, & bene pastus vaticinanti Bernvvaldo promisit, se grates denuo habiturum ad aram, cum primo

mò litaturus Deo esset Sacerdos. Ita dimissus crevit virtute & sapientia: ob vultus tamen deformitatem nobilitati haud acceptus, in pago constitutus est Parochus, quem venationi intentus D. Henricus Imperator cum obvium sibi haberet, & ut Missæ Sacrificium se præsentem offerret, potiùs rogaret, quàm imperaret, mox ignoto Cæsari morem gessit. Inter celebrandum mirabatur Henricus, quòd homo tam deformis in Sacerdotum electam sortem fuisset cooptatus: at tunc subito audiri cœperunt verba: *ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Monente Piligrimo, aut veriùs Deo, hæc ipsa altiori sonitu verba sunt repetita. Unde persuasus Cæsar tanquam audito de Piligrimi probitate oraculo, eundem pluris cœpit æstimare adeò, ut Piligrimum Electorali Sede judicârit dignissimum. Coloniae igitur anno 1022. cum primò celebraret Sacrum, dati Bernvaldo Hildesienfi Episcopo promissi probè memor, preces pro vivis dici solitas dicere paravit: at divinitus ibidem revelata Bernvaldi morte eundem mox inter mortuos numeravit populo mirante & vaticinium clamante. Annis 14. illustravit Coloniensem Ecclesiam an. 1036. D. Bernvaldi mortui vestigia secutus.

XL. HERMANNVS II. XIX. ARCH.  
III. ELECTOR.

**H**ermannus II. Ehrenfridi seu Ezilonis inter Palatinos Comites Electoris filius, Henrici de Lacu itidem Electoris frater aut patruelis, geminum à virtutibus sibi mutuum sumpsit, aut proprium fecit cognomentum, pariter *Pius* & *Nobilis* per Antonomasiâ passim appellatus. Dum primas virtuti tribuit, Pontificem & Cæsarem atque bonos omnes sibi faventes habuit; à D. Leone IX. enim post Concilium Moguntinum impetrâsse fertur privilegium, quo Purpura Romana Hermannò & futuris Successoribus concederetur deinceps singulis ac universis. In eodem Concilio, & aliàs Henricum III. Imperato-

ratorem venerari licuit Coloniae nunquam adversum. De Hermannus virtutibus testimonium dixit inter alia etiam lampas pretiosa, quam in sacello quoque D. Magdalene honoribus dicato, luce perpetua iussit illustrari: illustravit vero Hermannus Germanam præcipue Ecclesiam annis 19. an. 1055. tumulo illatus.

XLI. D. ANNO. XX. ARCH.  
IV. ELECTOR.

**A**Nno è Suevorum Comitum de Sonnenberg stemmate natus, frater Weneri Archi-Episcopi Magdeburgici, artibus, scientiis & virtutibus ritè instructus, atque inter Canonicos adscriptus, Bambergensium Gymnasio Præses est postulatus: inde verò ab Henrico III. Cæsare consiliis adhibitus, & Legatus Coloniæ missus, tanti ab Hermanno II. Archipræsule, & Canonicorum Collegio fuit æstimatus, ut eundem præ competitoribus aliis in Caput suum delegerint. Mox etiam publica Imperii autoritate Henrico IV. Romanorum Regi admodum Adolescenti datus, Adelbertum Bremensem Episcopum eo in munere expertus est adversarium, Henrici seductorem vaferimum; unde Augustus discipulus adversus Magistrum tantam concepit iram, ut nisi Agnes Augusta mater vim elusisset, Elector Coloniae in tantilli Cæsaris insidias incidisset, aut aperto vulnere concidisset. Idem iustitiæ assertor fuit non nunquam rigidissimus; argumento nobis sit exemplum ex pluribus unum. Cùm mulier multis obnoxia litibus iniquos iudices coram Archipræsule insimulasset, & causam argumentis firmasset, latâ ab Annone sententiâ, Viris septem eruti sunt oculi; septimo tamen, fortassis omnium minùs reo relictus est oculus, ut cæcorum deinceps dux foret. Hujus ipsius Archi-Episcopi Coloniae servari in monasterio Sigenbergensi ajunt Pedum, cui inscripta hæc sit legere verba:

Tityre coge pecus, cæcos ne ducito cæcus.

X 3

Dux

Dux oculatissimus verò inter Colonienfes fuit an. 20. vaticinijs & miraculis clarus, quem multis profecuti sunt laudibus *Albertus Kranzius, Brovverus & Scriptores etiam A catholici.* Mortuum dicunt an. 1075.

XLII. HILDOLPHVS, XXI. ARCH.  
V. ELECTOR.

**H**ildolphus annorum 4. Archipræful ex humili loco in Cæsaris Henrici IV. aulam translatus, partim ad aras ritè faciendo, partim meritis suis alijs præclaris adeò sibi devinxit D. Annonis, aut veriùs divini Numinis favores, ut cùm librum suo & proximorum bono peraccommodum rogasset D. Archipræfulem, hic continuò responderit: habebis brevè & librum, & Sedem Annonis: unde cecinit Poeta:

Ex humili scandit sacræ ad fastigia Sedis  
Hildolphus, quod ei dixerat Anno priùs,

XLIII. SIGEVVINVS XXII. ARCH.  
VI. ELECTOR.

**S**igevvinus 10. annorum Antistes, in Eiffia natus, D. Annoni ob insignia merita non minùs carus & acceptus, quàm Hildolphus habebatur: testimonii loco esse poterat, quòd pari vaticinio prædixerit Anno vates Segevvinus Coloniensem Infulam: monumenti instar sit versus:

Eiffia Sigvvinum genuit, prædixerat Anno  
Mitram.

XLIV. HERMANNVS XXIII. ARCH.  
VII. ELECTOR.

**H**ermannus 10. annorum Archipræful, natus Comes de Notheim, aut veriùs Henrici cognomento Pinguis ad Visurgim Ducis filius, Richenzæ Lotharii II. Augustæ conjugis frater, D. Severini sacras Reliquias honoratori loco posuit

fuit & exornavit; insignem etiam promeritus est laudem moderatâ parsimoniâ, & redituum Ecclesiasticorum curâ sedulâ, quod indicant nobis verba:

Ossa Severini gemmis ornavit & auro  
Nobilis Hermannus sanguine, dives opum.

XLV. FRIDERICVS I, XXIV. ARCH.  
VIII. ELECTOR.

**F**Ridericus Comes Forojuliensis, aut testibus Scriptorum Colonienfium calamis è Suevorum Comitum stirpe prognatus, cum D. Norberto Parthenopolis Archiepiscopo egit cominus & eminus, ut quaqua versus prodesset Ecclesiæ. Apostolicum Friderici Zelum unâ cum aliis multis dilaudavit Monasterium in Insula Rhenana, Rolandi dictâ, & alterum in monte S. Apollinaris munificentissimè extractum. Sedit annis 32. mortuus an, 1131.

S E C U L U M XII.

XLVI. BRVNO II, XXV. ARCH.  
IX. ELECTOR.

**B**runo Comes de Altena in Westphalia natus, tribus in Ecclesiis floruit Colonix & Confluentix. Merita ejus tanta fuerunt, ut licet epilepsix morbo laboraret, & Godefredus Sanctensis Præpositus æmulorum potentissimus multis placeret, nihilominus Brunonem eligendum Archipræsulem censerent Canonicorum plures, & suaderet Imperator Lotharius II. Nemini nempe Elector hic displicuit magis, quam ipse sibi: quare non nisi multorum precibus, & D. Bernardi consiliis persuasus, Colonix Solium conscendit, postquam jam Treverensium Insulam neutiquam admisit, Innocentio II. Pontifice  
Bru-

Brunonis constantiam probante. Annos 6. Elector numeravit; à Lothario enim Imperatore in Italiam ductus an. 1137. in Apulia est extinctus, & Bari in templo D. Nicolai sepultus, cujus ossa elapso dein biennio Rogerius tyrannus Siculus exhumari, & per urbis compita spargi mandavit.

XLVII. HUGO. XXVI. ARCH.  
X. ELECTOR.

**H**ugo Sponhemienſis Comes, Decanus Agrippæ Coloniae, mortuo Brunoni Succellor datus in Italia, ibidem conſecratione & Pallio à Pontifice impetratis Melphiæ ſeu Bari elapſo quatriduo poſt ſectionem venæ eſt mortuus, paucorum omnino menſium Archiepiſcopus.

XLVIII. ARNOLDVS I. XXVII. ARCH.  
XI. ELECTOR.

**A**rnoldus Geldriæ Comes de Simoniæ crimine ad Eugenium III. Pont. ab invidentibus delatus, & Romam uſque ad dicendam Cauſam vocatus, alacri comparuit animo, comite conſcientiâ bonâ tutiſſimus, qualem ſanè invenit judex in terris Supremus ringentibus inimicis. D. Bernardi conſiliis, quin & familiaritate uſus Arnoldus, didicit periculofis temporibus cedere & occurrere, vitia nimirum eradicando, & virtutes plantando per annos Sedis 14.

XLIX. ARNOLDVS II. XXVIII. ARCH.  
XII. ELECTOR.

**A**rnoldus II. Comes de Wied per varios in Collegio Canonicorum Coloniensium gradus ad ſupremum denique aſcendit annorum 5. Elector, qui ſui ævi luxit moeſta tempora, & D. Bernardi mortem plurimis luctuofiffimam. Geſta Arnoldi hujus probavit maximè Conradus III. Imperator



rator, cui ab arcanis Consiliis erat. Reindorffensem extruxit ædem, & S. Severini templo profuit.

L. FRIDERICVS II. XXIX. ARCH.  
XIII. ELECTOR.

**F**ridericus II. Comes Altenanus & montium dictus, Gerardo æmulo denique ab electoribus Canonicis est præhabitus, eò quòd Hadrianus IV. Pontifex, & Fridericus I. Imperator præhabendum censerent. Idem Elector probè electus Hadriano Pontifici auxilio fuit ad sedandas lites Pontificem inter & Cæsarem obortas. Papiæ post annum Sedis 3. sepelièrunt mortuum; unde eidem anno 1159. in Germania parentavit Fridericus Imperator I.

LI. REINOLDVS. XXX. ARCH.  
XIV. ELECTOR.

**R**einoldus de Dassel Comès Luneburgicus Friderico Imperatori, quàm Pontifici acceptior, hunc in modum est laudatus ab Augusto laudatore: *Charissimum Principem nostrum Reinoldum Ecclesiæ Coloniensis Venerabilem Archiepiscopum universis Imperii fidelibus in exemplum proponimus, cujus fidem synceram, cujus constantiam invictam, cujus labores immensos, cujus opera & servitia magnifica in omni necessitate Imperii, & nostra sæpenumero perspeximus &c.* Erat nimirum Reinoldus Cæsari à conciliis perpetuis, & comes à latere, præsertim proficiscenti in Italiam, ex qua an. 1162. everfo Mediolano DD. trium Magorum & Machabæorum Martyrum Reliquias Coloniæ direxit. An. 1167. ultimùm in Italiam profectus pestilentia morbo intèrît 8. annorum Elector.

LII. PHILIPPVS I. XXXI. ARCH.  
XV. ELECTOR.

**P**hilippus Comes Heinsbergensis, dum Fridericus I. Imperator Henricum Leonem Saxonie Electorem proscripsit,

Y

fit,

fit, probè observatis, teste Kranzio, Juris Publici regulis, Westphaliæ Ducatum & Angriæ hodie Comitatum impetravit. Eadem ferme ætate mœnibus Coloniam firmavit simul & exornavit, monumento sui relicto Coloniensibus perpetuo. Henrico VI. Imperatori in Italiam abeunti junctus comes Neapoli commune multorum Germanorum sepulchrum invenit an. Sedis 24. Christi 1191. Synopsis rerum à Philippo gestarum hoc metro canitur.

Ortu Heinsbergiacus magnus virtute Philippus,  
Mœnia & Angariam Westphaliàmque dedit.

LIII. BRUNO III. XXXII. ARCH.  
XVI. ELECTOR.

**B**runo Comes Altenanus litis sibi motæ, honorum & onerum publicorum haud immeritò pertæsus, abdicavit se Pontificatu Coloniensi post regiminis annum 2. Vitæ partem reliquam Superis consecraturus examussim, solitudinem Aldenburgentem petiit an. 1193.

LIV. ADOLPHVS I. XXXIII. ARCH.  
XVII. ELECTOR.

**A**dolphus Brunonis III. frater vel patruus, inter authores, aut certè adjutores numeratus est potentissimos, cur Otto Dux Brunsvicensis contra Philippum Suevorum Ducem fuerit in Solium Imperii evectus. Perperam sese elegisse, aut electum Ottonem Imperatorem peius imperasse, ostendit mutata mens Electoris Adolphi; Aquisgrani namque an. 1204. coronavit Imperatorem Philippum: sed ob hoc ipsum præmaturum factum, utpote inconstantia indicium haud obscurum, & causas majoris momenti alias imperante Innocentio III. è Sede Coloniensi fuit amotus an. 1205. annorum 12. Elector. Monumenti locorem totam indicat Lectori hoc breve melos:

Successor patruï cæcæ levitatis Adolphus,  
Pulsus bis dicto Cæsare sede fuit,

LV:

## SECULUM XIII.

LV. BRUNO IV. XXXIV. ARCH.  
XVIII. ELECTOR.

**I**Nter turbas Imperii & Coloniæ publicas Bruno IV. natus Comes de Sayn, in Archipræsulem delectus, exordium dignitatis suæ nactus est difficillimum, & viam virtutis arduam: Philippus enim Imperator Ottone æmulo prope Coloniâ in pugna decretoria victo, Brunonem in arce Wasserburgensi captum duxit captivum. Prosperè evenit captivo, amicitia vinculo conjunctos tandem fuisse Pontificem Innocentium & Cæsarem Philippum; tum enim vero confirmatus in Sede Principis sedit brevi tempore, 3. duntaxat annorum Præsul, forte meliori dignissimus.

LVI. THEODORICVS I. XXXV. ARCH.  
XIX. ELECTOR.

**T**heodoricus Comes Heinsbergensis ab Ottone Philippi, licet jam viribus prævalentis Cæsaris, æmulo in sacram Coloniæ Sedem intrusus, è coetu fidelium ab Innocentio III. est ejectus, quòd nollet relinquere partes Ottonis ab universâ propemodum Ecclesia relictas. Annos circiter 8. duravit schisma pertinax Theodoici, tandem re & spe Sedis recuperandæ destitutus, dato sibi auro quievit.

LVII. D. ENGELBERTVS XXXVI. ARCH.  
XX. ELECTOR.

**D** Engelbertus Montensis Comes, ab Imperatore Henrico VI. constitutus filio Friderico Moderator, à Coloniæ verò Canonicis Imperii Elector designatus, utrumque munus tanta integritate obiit, ut inter æquos rerum arbitros inventus fuerit nemo facile, qui plus ab eodem desideraret,

ret. Brovverus nunc compendiò comprehendens, nunc fusiùs describens D. Engelberti dotes egregias pag. 118. paucis vocabulis dixit rem maximam, dum inquit: *addunt de Engelberto, columnam Ecclesiæ, Cleri decus, columnam extitisse regni.* Tantum tamen ac tale columnen Fridericus Comes Isenburgicus ob Essendensis monasterii jura ab Electore hoc ritè defensa & custodita, 47. vulneribus è medio sustulit an. 1225. Sedis 9. Hanc à multis seculis vix auditam necem mox secuta omnium, præsertim in Germania inferiori Statuum admiratio, & indignatio justissima querelæ Christianum orbem implevit, præsertim verò cum volanti famæ accederent passim miracula multa legitimis testimoniis confirmata. *Lege Brovveri Annales Trevirens. & Gelenii Historiam de S. Engelberto editam.*

LVIII. HENRICVS I. XXXVII. ARCH.  
XXI. ELECTOR.

**H**enicus Comes de Molenarck primas inter curas numeravit illam omnium maximam, qua vindictam de Comite Isenburgico, & scelerum conscii severissimam sumere constituit: quare sceleris tanti authoris bona fisco quamprimum sunt adjudicata: conjux ejusdem tametsi criminis minime particeps, mœrore contabuit. Fridericus Comes conscientia stimulis instar Caini agitatus aliquantisper vagus & profugus, denique Leodii interceptus, & impensis haud modicis Coloniam traductus infamique rotæ implexus, mirâ pœnitentiâ pœnas absoluit gravissimas. Audiamus Boveri hac super re compendium, quod ita habet pag. 124. *Extra D Severini portam Comes horrendo atque infami supplicio in rotam actus, dorsum interritus ad sedecim præbuit securis ictus; inde tortoris manum ad singula comminuenda frangendaque corporis membra ultrò exposcens, admirandæ fortitudinis ac constantiæ in perpetuendis suppliciis exemplo, omnibus Christiani hominis probè in morte persunctus officii, tam tetram in se receptam labem, magnitudine cruciatuum eluit, vel obscuravit.* Caterùm Henricus Elector vindicata D. Engelberti morte, opportuna occasio-  
ne

ne utendum ratus, cum Colonia civibus ad lites pronissimis res magni momenti varias discussit atque composuit. Sedit ab an. 1225. usque ad an. 1237. turbatissimis in Imperio temporibus.

LIX. CONRADVS, XXXVIII. ARCH.  
XXII. ELECTOR.

**C**onradus Comes de Höchsteden per annos 24. difficultates tulit & ærumnas maximas; à Wilhelmo quippe Juliaensi Comite captus, novem mensibus in durissima captivitate delituit. Annos ætatis suæ ultimos potissimum consecravit ingentis operis & pretii templo, Divorum Magorum honoribus consecrato. Suorum temporum Salomonem dixerunt multi Conradum: Salomonis tamen opera aut facinora posteritati legenda non ritè scripserunt, si ædem excelsam demas, de qua Poeta ita canit:

Conradus summi struxit fastigia templi,  
Atque Ubia Salomon alter in urbe fuit.

Morti succubuit an. 1261.

LX. ENGELBERTVS II, XXXIX.  
XXIII. ELECTOR.

**E**ngelbertus Comes de Valckenburg circa annum 1260. Imperio Romano inter seditiones & cædes publicas lugente, luxit & ipse sortem suam tristissimam, cum Colonia cives urbem patriam in libertatem plenissimam asserturi tentarent extrema omnia, Bonnæ interea violenta remedia meditante Engelberto, Stratagemate & cuniculis Colonia expugnationem tentandam esse, unà cum Electore rati non pauci, sibi tumultum struxerunt, dum concubia nocte per occultos terræ meatus ingressi, sed simul à foedifrago socio proditi, ad unum omnes sunt enecti, ipso Electoris fratre desiderato. Amicis igitur consiliis,

Y 3

non

non verò armis cum civitate agendum ritè persuasus, pacem dedit & impetravit, cum Phrygibus doctus sapere. Annis 14. verius pugnavit, quàm quievit: excipe annum mortis 1275.

LXI. SIFFRIDVS, XL. ARCH.  
XXIV. ELECTOR.

**S**iffridus ex præclaro Westerburgorum stemmate ortus, institit cruentis Engelberti II. vestigiis, aut longè superavit, gladio magis, quàm consilio usus, ut vim vi frangeret. Quare haud veritus arma ipse induere, & in arenam descendere, at in eadem captus ab hoste Montensi Comite Adolpho, annis 7. libertatem frustra desideravit: tandem verò liberatus, mox totis viribus redintegrato bello ea fortunâ certavit, ut Adolphum inter victos atque captivos ductum, talionis poenam subire mandârit modo planè barbaro. De fine captivitatis desperandum erat ante omnia alia Adolpho; modum ut mitigaret victor, vix ausus est sperare, præsertim cùm ferreæ caveæ nudum Comitis corpus inclusum, & melle oblitum vespis & muscis patere iussit, exemplo inter hostes Christianos hæcenus inaudito. Hujus Electoris etiã causâ interdicto Ecclesiæ subiecta Colonia multo languit tempore. Annis 24. non sedit, sed sæviit ad annum 1298. usque.

SECULUM XIV.

LXII. WICHBOLDVS, XLI. ARCH.  
XXV. ELECTOR.

**W**ichboldus ex Illustrium Baronum de Holte natus sanguine, & Colonia legitimis in Archipræsulem electus calculis, omnem quamprimum movit lapidem, ut Metropolis sua interdicto soluta, ovis instar perditæ reduceretur ad pastorem suum. Laudem hanc unam & maximam  
Wich-

Wichboldi reliquit Colonia posteris. Annis 7. fuit Elector an.  
1306. terræ mandatus.

LXIII. HENRICVS II. XLII. ARCH.  
XXVI. ELECTOR.

**S**epulto Wichboldo electores Canonici in tres partes abi-  
erunt; pars nimirum prima Wilhelmum Juliacensem, pars  
altera Reinaldum Westerburgicum, pars reliqua Henri-  
cum Virneburgicum, tres Comites in Præsulem suum delegerunt.  
Nodum Gordium jure dicere poterant litem hanc gravissimam,  
quam dum nequît solvere consilio, gladiô Henricus dirupit;  
post casum enim in pugna Frandensi Wilhelmum, Romam, aut  
verius Avenionem properavit, ubi à Clemente denique post per-  
actam pœnitentiam, & exhibita habilitatis suæ argumenta est con-  
firmatus. Eadem tempestate Imperii Electores de eligendo, &  
mox electo novo Cæsare inter sese certabant primo calculis, mox  
verò armis: pars enim Ludovicum Bavarum, pars altera Frideri-  
cum Austriacum à se electum propugnavit. A Friderico stetit  
Henricus, quem idcirco Bonnæ coronavit Imperatorem, rin-  
gente parte altera. Inter turbas itaque Imperii transigenda fuit ætas  
Henrico ferè annis 26. quibus Coloniæ Sedem tenuit mortuus  
an. 1331.

LXIV. WALRAMVS II. XLIII. ARCH.  
XXVII. ELECTOR.

**W**alramus Juliacensis Comes, fortissimos præ alijs sensit  
hostes Ludovicum Bavarum & Adolphum Marchiæ  
Comitem Leodiensem Episcopum. Contra hunc  
sententiam dixit Joannes XXII. Romanus Pontifex Walrami  
quondam Bononiæ condiscipulus. Contra Bavarum pro Wal-  
ramo pugnavit Clemens VI. ad quem in Galliam ubi pervenit  
profugus Walramus, sepulchrum invenit, an. 1349. postquam  
Elector vixit an. 18.

LXIV.

LXV. WILHELMVS. XLIV. ARCH.  
XXVIII. ELECTOR.

**W**ilhelmus ex illustri Baronum de Gennep profapia oriundus, seditiosorum civium Coloniae audaciam detestandam quoque expertus est, cum Canonicorum duo levi de causa trucidati, justam bonorum omnium iram adversus civitatem provocarunt. Annis 13. Coloniensi Ecclesiae praefuit Wilhelmus, quibus proventuum curam adeo sedulam gessit, ut expuncto aere alieno magnam auri copiam corraferit. Dum avarum itaque dixerunt multi, liberalem experti sunt inter Divos Principes Apostoli, quorum duodecim effigies, seu statuas argenteas Coloniae templo principi donavit etiam hodie visendas. Vita longiori haud indignum mors inter mortales rara extinxit. Cum cercopitheco nimirum, quem aluit, dum forte ludere, aut tempus fallere placuit, accepto in pede lethali vulnere interit an. 1362.

LXVI. ADOLPHVS II. XLV. ARCH.  
XXIX. ELECTOR.

**M**ensibus decem relicta est Sedes vidua, dissidentibus inter se partibus, aliis Joannem Comitem Virneburgicum, aliis vero, imò pluribus Adolphum Comitem Altenanum eligentibus, quorum posterior, cum oblatam sibi dignitatem desiderasset minimè, prior verò ambiret maximè, eam ob rem Urbanus V. Pontifex latâ sententiâ repulso Joanne, Adolphum confirmavit. Verùm hic stirpis suae in se unica fronde superstite exspiraturæ memor, & amplæ hæreditatis adeundæ spe allectus, relicta Sede sacra thorum elegit, ducta in conjugem Margaretha Comite Montensi: anno itaque unico Elector fuit.

LXVI.



LXVII. ENGELBERTVS III. XLVI. ARCH.  
XXX. ELECTOR.

**E**ngelbertus III. Comes Altenanus Adolphi patruus, à multo tempore jam Leodii Episcopus, Coloniensem Infulam non ambiit, longè minùs postulavit, postulatus nihilominus ipse ab electoribus Canonicis, & à Pontifice confirmatus annos 4. Elector senex numeravit, solitudinis, quàm publici honoris avidior.

LXVIII. CVNO. XLVII. ARCH.  
XXXI. ELECTOR.

**C**uno ex familia Falckensteiniana Comes Engelberto Coadjutor, ut vocant, datus, brevi temporis spatio multa præclare egit; contracta enim debita expunxit; ditio- nes novas, atque inter has Comitatum Arensbergicum dato auro comparavit, nec non res priùs admodum turbatas composuit; tum verò curarum satur Pontificatu se abdicavit, non nisi 2. annorum Elector.

LXIX. FRIDERICVS III. XLVIII. ARCH.  
XXXII. ELECTOR.

**F**ridericus Comes de Saaryverden, invito Carolo IV. Imperatore Joannem Argentorati Episcopum nepotem suum offerente est confirmatus in Colonia Solio. Profuit nimirum Friderico plurimum, notum esse Romano Pontifici Gregorio XI. quocum literis quondam Bononiæ navavit operam, Italis jam tum acceptus Germanus. Inter gesta per annos 44. Friderici præclara numerarunt spectatores ea maximè, quibus imposuit coronam Imperatoribus tribus, nimirum Wenceslao, Ruperto & Sigismundo. Eodem authore, aut certè adjutore an. 1388. surrexit Athenæum Colonienſe ab Urbano VI. raris privilegiis munitum.

Z

SE-

## S E C U L U M X V .

LXX. THEODORICVS II. XLIX. ARCH.  
XXXIII. ELECTOR.

**T**HEodoricus II. Comes de Mōrs annis 48. Archiepiscopus, Episcoporum duorum frater, ipse simul Episcopus Paderbornensis floruit. Inter facinora Theodorici majora numeravit posteritas diem Theophoriæ solennem, quem sacrationem esse præcepit, ut Latrepticus cultus adversus hæreses ampliùs splenderet. Cæsaris Verdam ad illud usque tempus Clivenfi Comiti subjectam ditionis suæ fecit; susatum verò nimis tributis fagitatum amisit, subditis Comitem Marchiæ sibi dominum poscentibus. An. 1463 mortuis apposuit.

LXXI. RVPERTVS. L. ARCH.  
XXXIV. ELECTOR.

**R**upertus Dux Palatinus Friderici cognomento Victoriosi Electoris frater, à Colonia Canonicis est electus ea lege, qua Archipræsulis restricta plurimùm fuit potestas sacra juxtà ac profana, vixque relicta sunt Electoris sustentationi congruæ accessaria. Aegerrimè servitutem hanc novissimam tulit cum fratre frater Victoriosus; quare conducto exercitu laturus opem Ruperto, oppida varia & arces Canonicorum copiis occupatas expugnavit. Seditio inde ingens adversus Rupertum exorta turbavit omnia: anno namque 1473. à Canonicis in Colonia Antistitem electus Hermannus Hassiæ Marchio, in suppetias vocavit Carolum Audacem Burgundorum Ducem, qui continuò Novesium urbem in Coloniensi Electoratu munitissimam obsidione cinxit; sed demum à Friderico III. Cæsare repulsus, ab incepto opere destitit. Rupertus interea omni ex parte derelictus, dum fugam capessivit, in via ab Henrico Hassiæ

siæ Marchione interceptus, annis 3. in captivitate libertatem desideravit anno 1480. inter ærumnas mortuus an. 17. Elector. Mortui cadaver Bonnam translatum, diuturno tempore sepulchrum haud impetravit.

LXXII. HERMANNVS IV. LI. ARCH.  
XXXV. ELECTOR.

**H**ermannus Hassiæ Landgravius cognomentum Pacifici sibi accersivit pacem servando & bella vitando. Atque hac potissimum arte tantum vicit & sibimet devinxit subditorum plurimorum animos, ut etiam anno 1489. in Paderbornensem Episcopum delectus, nemini non placuerit, præcipue cum universi Hermannum scirent in pauperum catervas esse adeo largum atque benevolum, ut iter faciendo mendicabulorum manipulis vias publicas impleverit, haud immerito *Pater Pauperum* cognominatus. Si suo tempore Comitiam Imperii Hermannum in remotiores urbes Coloniâ avocârunt, passim consueverunt multi dicere, nequaquam multis inquirendum esse, ubi domicilium haberet Elector Hermannus: custodias enim ejusdem esse copiosos pauperes, totam latè viciniam implentes, & urbe tota Hermannum celebrantes. Non minus liberalem sese exhibuit ædibus sacris, quas auro & argento aliisque donis exornare in deliciis erat Archipræsuli virtutis studiofissimo, quem post Sedis annos 28. an. 1508. ad tumulum copiosis lacrymâs profecuti sunt cujusvis status ac generis viri fœminæque.

SECVLVM XVI.

LXXIII. PHILIPPVS II. LII. ARCH.  
XXXVI. ELECTOR.

**P**hilippus II. Comes Ebersteinius, ut multorum technas & prava eluderet consilia, nobilium non paucos Electori  
Z 2 Colo-

Coloniensi equidem subditos, sed parùm fideles sibi, rogavit palam, quot proditores Christum Servatorem vendiderint? respondentibus singulis: proditor is unus fuit Iscariotes. Tum verò Philippus: *me verò vendunt proditores multi*, atque hoc dicto perfida multorum dispulit consortia. Nihilominus, cùm inter Senatores numerarentur, qui cives oneribus multis gravâssent, & tardè admodum imposita ipsi exsequerentur mandata, ob has aliásque non leves causas Procerum varii capite plexi, reliquis eum timorem incusserunt, ut alieno, quàm suo damno sapere mauerint. Annis 7. Electorem timuerunt Colonienses; an. 1516. inter varia luctus & lætitiæ testimonia publica sepeliêrunt.

## LXXIV. HERMANNVS V. LIII. ARCH.

## XXXVII. ELECTOR.

**H**ermannus V. Comes de Wied, Elector simul & Episcopus Paderbornensis constitutus, opus bene cœptum in fine corrumpit: ab anno enim 1530. pravis libertinorum consiliis seductus, haud obscurè cœpit favores prodere Lutherò & sociis: Argentorato enim Boñam vocâsse fertur Bucerum, ex Saxonia verò Melancktonem, quorum librum, Hermanni nomine editum, confutârunt Coloniae Scriptores. Hermannus tamen spre- tis Catholicorum consiliis & libris Kempenæ, Andernaci alibi- que locorum nova placita spargi permisit, aut turpiùs manda- vit, ex pastore factus lupus. Igitur à Romano Pontifice Pau- lo III. & Imperatore Carolo in summas redactus angustias, Se- deque sua pulsus, an. 1547. elapso exinde lustro unico in Co- mitatu Wiedano an. 1552. est extinctus.

## LXXV. ADOLPHVS III. LIV. ARCH.

## XXXVIII. ELECTOR.

**A**dolphus Comes de Schauenburg Hermannò V. Adjutor junctus, & ipso Sede amoto Archipræsul consecratus, providè contrariam Antecessori iniit viam, sparsa doctri-

næ

nae novae femina in tempore suffocanda esse probè gnarus : unde è Coloniae ditionibus migrare jussi Heterodoxi , agerrimè obtemperârunt : Adolphus verò ad nutum Romani Pontificis & Caroli Cæsaris intentus , inter Concilii Tridentini Patres dixit sententiam ; 9. annorum Archiepiscopus , multis Catholicorum encomiis exornatus vivus & mortuus 1556.

## LXXVI. ANTONIVS LV. ARCH.

## XXXIX. ELECTOR.

**A**Ntonius Comes de Schauenburg, Adolphi III. frater, ob fratris & sua merita insignia in Caput Coloniae supremum electus , plura desideravit agere , quàm egit morte præventus immatura an. Sedis jam altero : unde habet distichon :

Successit fratri paucis Antonius annis,  
Cum vita, haud virtus destituere virum.

## LXXVII. IOANNES GEBHARDVS LVI. ARCH.

## XL. ELECTOR.

**G**ebhardus Comes Mansfeldius vix electus est Archipræsul , mox morbo prostratus diuturno , cœpit mortem meditari vix 4. annorum Elector , mortuus an. 1562.

## LXXVIII. FRIDERICVS IV. LVII. ARCH.

## XLI. ELECTOR.

**F**Riderico Comiti de Wied , cum non minùs quàm Gebhardo , perpetui morbi incubuissent , honorificum Electoratus munus , & ponderosum onus in Successorem liberè transtulit an. Sedis 5. vel 6. servata sibi in annos futuros non magnâ auri summâ , quam tamen etiam mors brevè secuta invidere est visa an. 1567.

LXXIX. SALENTINVS, LVIII. ARCH.  
XLII. ELECTOR.

**S**alentinus Comes Isenburgicus an. 1567. Coloniensi Infula exornatus, an. 1574. Mitram Paderbornæ alteram capiti imposuit. Utriusque nimirum Ecclesiæ Canonicis summo opere probata est Salentini cura Ecclesiastica simul & domestica, qua thesauros utrosque auxit & multiplicavit. Verùm tametsi auro & meritis dives diceretur Salentinus, his tamen omnibus longè visus est præferre generis sui propaginem: abdicato enim post annum Sedis 10. Electoratu duxit Antoniam Arenbergicam, ne mortis falci penitus succumberet stemma Isenburgicum.

LXXX. GEBHARDVS, LIX. ARCH.  
XLIII. ELECTOR.

**G**ebhardus Truchsessius ab Ottone Episcopo Augustano E. R. C. patruo suo ritè moribus formatus, & statum meliorem eligere doctus, eo profectu visus est instituisse Truchsessiorum Comitum gloriosis vestigiis, ut anno ætatis suæ 30. in Archiepiscopum Coloniae jam fuerit electus, posthabito etiam Ernesto Bavaro Frisingensi simul & Hildesienfi Episcopo. Verùm sefellit plurimum universos malè concepta spes de tanto, ut aiebant, juvene: Gebhardus enim Agnetis Mansfeldicæ illicitis & laqueis adeò est irretitus, ut desertor Ecclesiæ Romanæ factus, clam cum amasia celebrârit nuptias, animo simul retinendi Electoratum Coloniensem. Armatas eum in finem manus Gebhardo adversus quosvis hostium impetus promiserunt Joannes Casimirus Comes Palatinus, Hassiæ Marchio, Comites item de Solm, Nassau & Geroldseck &c. Verùm ab Hispanorum è Belgio mox translatorum præsidiis Bonnâ occupatâ, Gebhardus pulsus, Romæ simulque Coloniae est exautoratus, Pontifice Gregorio XIII. sententiam dicente an. 1583. unde

unde derelictus ferè ab omnibus fugit in Hollandiam, ubi ab Uraniz Duce exceptus, extorrium more cum sacrilega conjuge vixit ad annum 1601.

LXXXI. ERNESTVS, LX. ARCH.  
XLIV. ELECTOR.

**E**Rnestus Alberti V. Ducis Bavari filius, tribus jam Infulis, Leodiensi nimirum, Hildesienfi & Frisingensi junxit quartam eamque majorem reliquis Colonienfem. Peditum & Gladio opus fuit Ernesto; Peditum quidem ut oves dispersas unum in ovile reduceret; Gladio autem ut lupos permultos, hostes nempe suos copiosos procul pelleret, quod utrumque præclare profus præstitit per annos 29. Utrumque paucis complexus Poeta canere nos docuit.

Ernestus Bavarus certans Gladioque Peditumque  
Restituit læsis vimque decusque sacris.

Talia tametsi probarentur minimè Lutheri asseclis Viris Principibus, hi nihilominus quod in Ernesto reprehenderent, non invenerunt, quod verò dilaudarent, facile repererunt: vixisse enim & mortem Arensbergæ obiisse an. 1612. non nisi *sanctissime*, libris testibus confitentur. Gloriosus igitur reliquorum omnium ex Domo Bavarica Electorum Coloniz antesignanus Ernestus, Coloniam Romam Germanorum dictam, dum non condidit, magnam partem restauravit.

SECULUM XVII.  
LXXXII. FERDINANDVS, LXI. ARCH.  
XLV. ELECTOR.

**F**erdinandus Wilhelmi V. Bavariz Ducis filius, Ernesti Electoris nepos, Academia Ingolstadiensis lucidissimum sydus in juventute fuit, in qua eruditionis & scientiarum præ-

præclara reliquit monumenta, auditus hæud semel duntaxat propositas Theses doctissime propugnare & impugnare, dignissimus Princeps, qui quadruplici Mitra exornaretur suo tempore. Annis 38. Ecclesiæ Coloniensi emolumento ejusdem maximo præluxit, totidem ferè annis mala perpeffus gravissima: ab anno enim 1625. Brunsvicensium copiæ per Coloniensem Electoratum grassatæ sunt quidvis audendi libertatem jus suum ratæ. Ab anno 1632. successit Gustavus Adolphus Suecorum Rex Ferdinando Electori eò infensior hostis, quò arctiori sanguinis vinculo Maximiliano Electori Bavaro, & amicitiaæ fœdere Ferdinando Cæsari conjunctum esse noverat Electorem Coloniæ, simul & Archiepiscopum, & Lutheri hostem. Hassorum etiam armatæ copiæ Colonienses ditiones animo maximè hostili invaserunt, inde nulla nec arte, nec vi expulsæ; donec denique inita pace Novesio aliisque urbibus egredi pacta publica suaserunt, liberali auro viam sternente ad reditum. Cæterum componendis in Imperio turbatissimo negotiis ab Imperatore Ferdinando II. adhibitus, & à partibus, ut id faceret, rogatus, ita satisfecit omnibus, ut Ferdinandi virtus nunquam non eminuerit inter virtutes Virorum Principum non paucorum. Ferdinandi nimirum instar regulæ erat quotidie fortiter agere & pati, atque adeò esse *Episcopum*, hoc est *perfectum*, quale testimonium de suo Pastore dixerunt oves omnes bonæ.

LXXXIII. MAXIMILIANVS, LXII. ARCH.  
XLVI. ELECTOR.

**M**Aximilianus Henricus Ducis Alberti Bavari filius Pedro triplici fortior ac firmior, Ecclesiam triplicem multis suis virtutibus solidissimis confirmavit, Coloniensem nimirum, Leodiensem & Hildesensem. Et verè virtutes Maximiliani Ecclesiæ columnas dixit S. R. E. Cardinalis Julius Mazarini, qui ab æmulis ad Gallorum Regem Ludovicum



cum XIV. delatus, tantisper aulam Francicam fugit, & anno 1651. ad Maximilianum hospes pervenit. Columen suum non minus expertus est Maximilianum Ernestus Hassiæ Marchio, qui an. 1652. Coloniæ sibi elegit columnam, ut relicto Lutheri ædificio ruinoso staret & quiesceret securius. Annis Electoratûs sui posterioribus, partim domesticis, partim externis, expositus bellis, fortunam sustinuit variam, præsertim verò dum fœdus iniit cum Gallorum Rege adversus Batavos haud annuente Cæsare. Maximiliani scopus erat ditiones suas à Batavis sibi ereptas, præsertim verò Rhenobergam munimentum suum recuperare, quod promittebat & præstabat initum cum Gallis fœdus. Inter sacrum & saxû igitur medius Maximilianus, quò se verteret, crebrò incertissimum habuit, soli Deo denique adhærere & aliàs, & maximè in lucta ultima doctus, quam sustinuit an. 1688. post annos Regiminis 38.

LXXXIV. IOSEPHVS CLEMENS, LXIII. ARCH.  
XLVII. ELECTOR.

**J**osephus Clemens Dux Bavarus Maximiliani Emanuelis Electoris frater an. 1688. favente Innocentio XI. & Cæsare Leopoldo contra S. R. E. Cardinalem Wilhelmum Fürstenbergicum Argentinæ Episcopum, & Archiepiscopi Coloniensis Adjutorem electus, Mitram Leodiensem unà cum Coloniensi conservavit, Frisingensem verò & Ratisbonensem Successoribus aliis reliquit. Varia dein Martis discrimina subiit, certantibus inter sese de corona Hispaniæ primò Cæsare & Gallorum Rege; mox verò Europâ propemodum universâ. At tandem stabilita pace sacris sese totum muniis denuò consecravit Elector Clemens, dum more Episcoporum veterum nunc conscensis exedris sacris ad avidissimum populum dixit, nunc Sacerdotes aut Episcopos consecravit, nunc ad Christianas aras perductos Baptismatis aquâ mundavit, nunc ritè baptizatos in fide confirmavit, paratissimus

Aa

etiam

etiam non rarò confitentibus aures accomodare. Annos vivendo superavit 53. annis 35. Coloniae Sedem suis virtutibus multis exornavit, anno seculi nostri 23. ad meliorem vitam est evocatus. Hæc in compendio dixisse sufficiant, Plura qui desiderat, Scriptores Colonienses adeat & urgeat, ut scribant suorum Principum facta & fata.

LXXXV. CLEMENS AVGVSTVS, LXIV. ARCH.  
XLVIII. ELECTOR.

**C**lemens Augustus Maximiliani Emanuelis Electoris Bavari filius, an. 1700. instar felicissimi syderis mensè Augusto natus nobis, & ab ineunte ætate partim in principe Bavarorum urbe Monachii, partim in ipsa Urbe urbium domina moribus optimis & præclaris exornatus studiis, ipsum Romanum Pontificem Clementem XI. veneratus est persæpe, rerum suarum & arbitrum & laudatorem Sanctissimum. Promeritus est inde maximè, exornari primò Mitra Episcopali Ratisbonæ; paucos verò post annos Paderbornæ, Monasterii, Coloniae & Hildesia. Plura modò non sinunt scribere Augusti Principis & Electoris perspecta omnibus Modestia, & Historia mortuorum magis, quàm vivorum viva memoria.



PRÆ